

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0190

0188

0194

0184

0199

0179

0239

0139


0289

0089

0689

Ende

Anfang



179

invenimus et intromissi sumus ad eorum conspectum. Qui auditis causis nostris vocari jusserunt nostrum Trutschelmannum Sabbathytanco et hortabantur eum, ut citius nos eduiceret, et habita longa colloctione inter se dixerunt nobis, quod adhuc oporteret nos X diebus manere in Jerusalem, post quos sine dilatione essemus desertum ingressuri. In his, inquit, diebus disponite vos cum omnibus per viam necessariis, cum paximaciis, caricis, vino et aliis. Et his dictis licentiauerunt nos ad loca nostra.

Eodem die incepimus nos parare, et duos ducatos pro persona Gazelo solvimus, ut daret nobis facultatem comparandi vina a Christianis et a Judaeis. Est enim Gazelus Christianus de cinctura officialis Soldani, ad hoc negotium praepositus, ut nulli Christiano liceat vinum emere, nisi soluto ei tributo, et si contrafactum fuerit, et perceperit, irrumpit loca, ubi vina emta fuerint locata, et vinum ad se recipit, vel vasa frangit et vinum effundit. Multas sollicitudines et labores habuimus ab hac die et deinceps usque ad nostrum recessum de provisione facienda per desertum, et omnia, quae disposuimus, comportavimus in montem Syon ad Conventum fratrum in capellam S. Francisci, quae sub ecclesia est, et in paucis diebus capellam ipsam replevimus sportis, saccis et brillis sive vasis, et magnum comportavimus cumulum rerum per tres societates. Eodem die, cum advesperasset, transivi cum duobus militibus ad vallem Josaphat pro quodam negotio expediendo, quo expedito visitavimus loca sancta montis Oliveti, et cum essemus in ejus cacumine in ecclesia ascensionis Domini, occubuit sol, et antequam possemus urbem intrare, praecoccupati fuimus tenebris et magno timore per vicos civitatis transivimus et cum hoc oberravimus gyrantes hinc et inde. Tandem autem ad vicum nobis notum venimus et cum pace ad loca nostra ingressi sumus.

Vigilia assumptionis sic celebratur iu Jerusalem.

Quarta decima die, quae est vigilia assumptionis beatissimae Virginis Mariae, transacta meridie incepimus nos ad celebritatem futurae festivitatis tali modo disponere. Ingressi

12*